

**Dissertatio inauguralis medica de combinatione et exclusione morborum /
[Joseph von Schneller].**

Contributors

Schneller, Joseph von, 1814-1885.

Publication/Creation

Vienna : J.P. Sollinger, 1840.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mak8jsjn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
COMBINATIONE ET EXCLUSIONE
MORBORUM,
QUAM
SENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI
DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE OBTINENDIS
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
PUBLICI JURIS FACIT
JOSEPHUS SCHNELLER,
VIENNENSIS.

In Theses adnexas disputabitur in palatio Universitatis die
20. mensis Junii 1840.

VINDOBONAE.
TYPIS J. P. SOLLINGERI.
MDCCCXL.


Vermöge des abhängigen Verhältnisses, in welchem die Krankheiten zu der Aussenwelt und ihren Dingen stehen: müssen nun, wie organische Wesen auf andere Wesen, so auch Krankheiten auf andere Krankheiten Einfluss äussern, der bald beschränkend, bald fördernd ist.

Jahn, Physiatrik.

47151/P.

PATRI OPTIMO

FILII PIETAS.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

PROEMIUM.

In perscribenda dissertatione jam dudum scopum mihi praefixi, thema elucubrandi, quod non nimis tritum (ne crambe ad nauseam repetita infarciam pagellas), quodque in elaboratione mihi et elaboratum forsitan aliis utilitatem adferre posset. Prae tot aliis, tali occasione non indigna mihi visa illa mutua morborum ratio, juxta quam certi processus morborum sibi amicissimi, — alii singulari modo sese avversantur. Argumentum revera salebrosum! quod aevo prisco ad summum epidemiarum tempore aestimatum, quamvis a recentioribus auctoribus quoad contagia magis et praecipue anatomia pathologica face praeferente in singulis morbis excultum: tamen nonnisi germen apparet messis venturae uberrimae.

Quae in diversissimis tractatibus sparsa inveni, collegi, in ordinem redege

et totum formare nitens generalia ex illis abstracta praemittere ausus sum.

Largissimam observationum copiam circa contagia mihi praebuit doctrina ingeniosa *Cel. Prof. nostri Fr. nobilis ab Hildenbrand*; animadversiones castas de pluribus aliis morbis inprimis de typho, dysenteria, cholera, tuberculosi debeo disquisitionibus *Cel. Professoris anatomiae pathologicae C. Rokitsky*. Undenam cetera collegi, ex elencho librorum adnexo elucebit; huc accedunt denique propria observata parca.

Multa esse, quae lapide lydio experientiae severae et annosae non sincera probentur, nemo magis sibi persuasum habet, quam egomet ipse. Si erro, non solus erro.

Faxint dii, me hisce pagellis impulsu dedisse sodalibus, ut animum advertant excolendae doctrinae non solum amoenissimae sed et summae dignitatis, summique in futurum influxus in medicinam universam!



INTRODUCTIO.

Morbus simplex, purus hodierno die perraro medici ferit oculos; fuerat frequentior olim, ut historia docet et ut a priori argumentari possumus: modus enim vivendi simplex fuit, victus simplex, animus simplex, — nunc contrarium viget: rationes hominum ad naturam innumere multiplicatae, vivendi modus complicatissimus, corpus in pluribus imbecille, lucri faciundi gratia laboribus exhaustum et voluptate magis adhuc, animus continuo luctans cum potentiis externis, secum ipso: hinc et aberratio a statu sano multiplex, hinc et morbus in singulo eodem tempore complicatus, cui et experientia testis quotidiana. Ex iisdem causis morbi quoque cum decursu regulari eo rariores sunt, quo rariores morbi simplices. Attamen heic adduci meretur, quondam saepius morbos, etiamsi complicatos puros vocatos esse ob justae diagnosticos defectum et universim scientiam medicam minus excultam. Morbi igitur duo vel plures simul

in eodem organismo admodum crebro hodieum
occurrunt.

Ast simul attente observantem tot tantasque
morborum combinationes vix fugiet, esse quosdam,
qui (licet circumstantiis maximopere faventibus)
vix ac ne vix mutuum ineant commercium, qui sibi
inimicissime opponantur, imo nonnisi interitu alte-
rius persistere queant, qui ergo sese invicem ex-
cludant.

Ambae hae relationes morborum memoratu
dignissimae, quantum vires et otium permittunt
fusius hic exponentur.

Parte generali rationes elementares, no-
tionem penitiorem, causas, leges e. s. p. perlu-
strare conabor; pars specialis tractabit de
morborum formis essentialibus et principalibus,
quatenus aut complicationem cum aliis ineant aut
idem connubium recusent.

PARS GENERALIS.

DE MORBORUM COMBINATIONE ET EXCLUSIONE IN GENERE.

Nihil est in rerum natura, quod non aliquo saltem respectu ab alio dependeat, quod ab omni influxu externo liberum se tueatur, quod si non esset simul existentia sublata foret; quo magis autem composita res est, eo magis etiam potentiis extra se positis afficitur, homo igitur perfectissima et subtilissima organisatione donatus hunc influxum gravissime patietur non solum statu sano sed et morbo. In aetiologia omnes fere potentiae in morborum genesim atque ulterius incrementum ad amussim evolvuntur; attamen morborum ad se invicem mutua ratio minus quam par erat attentioni pathologorum adrisit. Hoc autem revera obtingere, sequentes observationes multifariae experientiae depromptae demonstrabunt:

1. Sunt morborum formae, quae nunquam autonomi, substantivi occurrant, sed semper aliis morbis (ut entozoa aliis animalibus) parasitice adhaereant uti v. g. petechiae, miliaria, eczema, brevi omnes morbi sic dicti symptomatici, deuteropathici, qui morbo primario devicto simul disparent. *Jahn* huc quoque nonnullas hydropis chronici formas refert et gangraenam nosocomialem.
2. Multos novimus morbos, qui ulteriori explicationi aliorum morborum favent, sic omnibus peritis constat fatalis illa complicatio syphilidis cum scabie, scorbu-

to; ita post morbillos exantlatos scrophula latens et tubercula manifestiora evadunt.

3. Nonnullae morborum species tam arcte in unum coalescunt (sie durchdringen sich so), ut medicus quamvis versatissimus haereat, utrum pro hoc an pro illo habeat; sic syphilis et arthritis coalitae hybridum generant morbum distinctu difficilem, sanatu adhuc difficiliorem. Huc pertinent porro maxima parte morbi veteribus dicti larvati, obscuri, spurii, qui revera nomen combinationis merentur. Inflammationes s. d. specificae quoad diathesim nempe scrophulosa, herpetica etc. jam ad mentem Celeberrimi Domini nostri Professoris ab *Hildenbrand* omni jure complicatae appellari possunt.

4. E contrario inveniuntur morbi, qui fere nunquam cum aliis certis combinantur, vel si combinantur, tunc morbus protopathicus retrocedit aut penitus evanescit; huc e. g. referri possunt typhus abdominalis, qui nunquam connubium init cum cholera orientali, nec cum febris puerperali; processus tuberculosus, qui gibbos et strumosos altiori gradu immunes relinquit; anasarca aut scorbutus in phthisico vigentibus suppurationi et tuberculorum emollitioni saepius limites ponuntur; morbilli, dum florent delent crustam lacteam, quae illis demum abactis iterum reviviscit; intermittens epilepsiae superveniens saepe hanc jugulabat. Morbi antiquorum, depuratorii nominati partim hic inserendi forent.

Quod nunc copulationem attinet: affinitatem quandam inter morbos junctos regnare omni dubio superius est; mox nullo modo in se invicem agere videntur, mox unus alterve insigniter modificantur. Inde differentiae illae exortae inter morbum compositum, complicatum et combinatum, quas nunc paucis recensurus sum.

+ *In unguem Hildenbrandi*

DEFINITIO.

Morbus compositus simplici contrarius, nexum causalem agnoscit cum alio morbo ut v. c. pleuritis et pneumonitis, rheuma et catarrhus, haemorrhoides et arthritis, arthritis et urocystolithes, carditis et pericarditis, metritis et peritonaetis.

Complicatus *) puro oppositus, est morbus cum alio junctus absque nexu causali; hoc casu ergo morbi variae indolis causaeque externae in eodem corpore sedem figunt atque simul existunt.

Combinatus tandem morbus juxta recentiorum auctorum explicationem esset complexio mutua intima processuum morbosorum ad formandum tertium diversum, ita ut secundum *Cl. Schönlein* complicatio ad combinationem se habeat, uti mixtio mechanica ad chemicam.

Ingeniosus pathologus *Stark* rem tali modo definit: Morbus compositus est processus morbosus cum alio homonymo simul existens; in complicato alius plane diversus processus morbosus eodem tempore adest; in combinato morbi coalescunt heterogenei, formantes unum totum, sed monstrosum, hybridum.

Licet haec ultima distinctio bene excogitata sit atque in casibus pluribus demonstrari queat: tamen quoad morborum classes, genera et species universim ardue explanari potest. Nam habemus morborum formas, quae in uno individuo combinantur invicem, in altero nonnisi complicantur, quod a variis dependet circumstantiis; hinc qui-

*) Multi auctores sub complicatione simul et characterem intelligunt; sic v. c. febris gastrico-inflammatoria est complicatio febris inflammatoriae.

dem singulo casu hoc discrimen faciliiori negotio statuitur, sed quod nostram attinet doctrinam, complicationem et combinationem eodem adhibemus sensu, eo magis, quum et auctores has expressiones promiscue usurpent et quod rarissime morbus cum alio jungatur, quin unus alterve, etsi tantillum modificetur et singuli imago alienetur. Vix monendum est, ne successio partim necessaria alterius morbi qua combinatio consideretur.

Quidnam sub exclusione proprie intelligendum sit, ex supra allatis jam prodit; est nimirum illa ratio morborum erga se invicem, juxta quam certi processus morborum simul in eodem individuo existere nequeunt. In designandis vero morbis, qui sese excludunt, summa cautela opus est, ne falsa veris substituantur et ne ille conceptus perperam intelligatur. Hinc e re erit, hoc thema fusius tractare et exclusionis conceptum paululum amplificare.

Saepius enim accidit, inveniri simul morbos duos in individuo, licet exclusio eorundem contendatur uti v. c. aneurisma et tubercula pulmonum; sed sectio simul docet, tubercula emortua fuisse, calcarea, ergo totum processum tuberculosum retropressum; ast hoc saltem verum est, illos duos processus in eodem corpore simul vigere non posse.

Est porro factum memoratu dignissimum, praecipue epidemiarum grassantium tempore statutum, certos morbos repente quasi perire, fugam capere illis regnantibus. Sic jam *Thukydes* (anno 321 p. u. c.) peste Athenis saevienti observavit, alios morbos numero valdopere imminui, quod quidem explicandum partim ex contagio infensissimo omnia rapienti, partim ex ejus vi immani in intima organisationis penetralia agenti, partim ex potentiis cosmicis huic directioni suffragantibus. Ita orientales gaudent, si peste saevienti variolae in propinquo, quia illa dein jugulatur. Hoc confirmatur et ulterioribus observationibus, epidemiis quoque minus horrendis.

Recentissimo aevo tandem candidae observationes Vin-
dobonae institutae statim primo Cholerae orientalis in-
gressu anno 1831 nos edocuere, typhum abdominale tunc
longe lateque grassantem, priusquam illa intraverat sem-
per plus perdidisse a caractere suo; decursus fuit taedio-
sus, expansio sanguinis excedens, ulcerationis processus
in ileo magis repressus, inflammationes fere omnes (nisi
erysipelas et carditis) silebant, donec cholera erupit, om-
nia circa circum suo imperio subjiciens *); fuit revera
monarchia absoluta cholerae non solum in homines sed et
in animalia (Fr. ab *Hildenbrand*), nam qua autocrata nul-
lum alium fere morbum, ad summum ipsi analogum scor-
butum, intermittentem, penes se patiebatur.

Catarrhus epidemicus seu s. d. Influenza nuperrime
populariter debacchans, omnes fere morbos non catarr-
hales repressit, vel saltem tali ratione modificavit, ut ca-
tarrhus eminentem sisteret adfectionem. Morbilli affines
praecursores erant eodemque cum catarrho russo tem-
pore florebant. Si perpendimus porro, catarrhum talem
sub certis circumstantiis fomitem contagiosum extricare
posse (uti revera tunc accidit): haud mirandum, illum
specificam suam naturam erga omnes ceteros morbos
tueri summopere adnissum esse.

Quis hic non agnosceret facultatem morborum exclu-
dentem? Sed haec ratio in macrocosmo contingens et in
microcosmo, in individuo locum habet, nunquam enim ^{v.c.} pro-
cessus typhosus cum cholera connubium init.

Respicientes morbos contagiosos rem adhuc magis
stabilitam observamus. An quis unquam variolantem ty-
pho exanthematico, scarlatina et vice versa correptum vi-
dit? nonne variola tutoria rite exantlata variolam veram

*) *Bartels* dicit: Die Cholera ist die am meisten egoistische unter
allen Weltseuchen.

+ ulcera et si levia conquebantur gangraena
* et plantas

excludit? Possent objurgare, hoc nil miri esse et per se palam fieri, quia tali in casu universus processus plasticus alteratus et productioni abnormi intentus sit et sic porro. Attamen singulare est; nam et alii morbi totam immutant vitam vegetativam, febri junguntur, nec excludunt contagia accipienda uti v. c. phthisis, hydrops.

Quoad nevroses tandem jam *Reil* dicit, has immunitatem magnam praebere ab epidemiis febrilibus.

Hisce paucis adlatis, quotidiana experientia confirmatis facultas morborum excludens certos alios omni dubio superior agnoscetur, sicque inconcussa valet.

FREQUENTIA.

Numerus morborum, qui complicationem ineunt longe major evadit, quam illorum, qui sese excludunt; nam

1. Dantur morbi, qui fere cuicumque alii adsociari possunt ut e. g. inflammationes.
 2. Aliquae jam observationes circa simultaneam existentiam certorum morborum sufficiunt ad statuendam combinationem, dum ad exclusionem sanciendam observationibus indigemus numerosissimis; quoad combinationem certitudo adest, quoad exclusionem non nisi verisimilitudo.
 3. Complicatio jam pridem a medicis attento animo notabatur; exclusio per se rarior proles aevi recentioris.
 4. Oppositio duorum morborum tam manifesta universim minus saepe occurrit.
 5. Exclusionis ratio summopere a genio epidemico dependet. (*videlicet per hunc*)
-

L E G E S.

Quisque, qui naturam attento indagaverit animo concedet, illam omnia perficere juxta certas leges inviolabiles, quarum ratio vero saepissime nos latet. In homine solo, ut ente ratione praedito et voluntate libera, quarum ope sese frequenter influxibus externis subducere valet resque circumdantes suo subicere nutui, leges eruere difficillimum opus. Hinc et praesenti casu, in re nec dudum culta leges generales statuere nisi impossibile, tamen hoc tempore pro tirone temerarium videbitur. — Attamen tentare licet! Ecce generalia, quae ex specialibus abstrahi licuit:

1. Morbi sibi affines quoad substratum, indolem etc. facilius connubium ineunt; uti econtra sibi hac ratione oppositi libenter se excludunt.
2. Processus morborum totam reproductionem invertentes exclusioni magis favent.
3. Combinatio in genere longe saepius observatur, quam exclusio.
4. Contagiosi morbi multis aliis infestissimi; hinc
5. Morbi epidemici jam per se plurimos ceteros morbos supprimentes, si contagiosi evaserunt hunc influxum eo magis exserunt.
6. Existens quidam processus miasmaticus, contemporalis alius febris contagiosae evolutionem plerumque excludit.
7. Nervorum pathemata chronica frequenter nonnisi interitu suo (etiamsi solum pro tempore) alios morbos admittunt.
8. Status puerperalis universim praesentes morbos reprimat et in novos concipiendos haud inclinat.
9. Sunt status abnormes plerumque connati, qui quemcunque alium morbum accedere fere non sinunt ut e. g. cyanosis, cretinismus.

10. Morbi, qui generatim eodem loco et tempore non existere posse videntur etiam in individuo non junguntur.
11. Uti morbi jam tractu temporis, constitutione stationaria aliisque influxibus haud praevidendis quoad proprium characterem immutantur imo plane novi formantur: ita etiam combinationis et exclusionis ratio nequaquam omni tempore et ubique firma et constans statui potest.

C A U S A E.

Quomodo fit, certos morbos aliis facili negotio accedere alios iterum excludere? An hoc in morbi ipsius natura jam fundatur, an in hominis natura, qui morbo primario corripitur? Num genius epidemicus tantopere participat? Has questiones solvendas et alias, lubenter ingeniosioribus committo. Supra allatos influxus revera qua ponderosos affirmare debemus. In quibusdam exclusionis casibus uti v. c. in gibbositate evolutissima et tuberculoso processu, in m. exanthematicis contagiosis, rationes sufficientes pro parte adducere valemus, quod serius in specie apto explanabitur loco.

F O N T E S.

Uti in omni scientia medica, sic et hic observationes sincerae et accuratae non modo fundamenta jaciunt firmissima remque promovent, sed etiam unice judicium ferre valent circa rationem veram aut falsam doctrinae praesentis. Ast inter observationis modos quoque nonnulli praeferri merentur aliis. Primum locum tenent necroscopiae, uti nunc

12. Hoc frequentissime observatum quod morbi qui nec excluduntur et facilius sibi succedunt.

et semper ab anatomis versatissimis instituebantur nempe pervestigations totius cadaveris, non solum partis prae-sumte adfectae, sollicitae, exactissime factae, cum distinctione justa non ficta, nec subtilitatibus nauci habendis innixa laesionis organicae et simul cum notatione, quaenam mutatio in textu organorum prius contingebat; debent vero comparari cum phaenomenis in vita animadversis. Quae observationes securitatem quidem praestant maximam, sed non tam numerosae sunt et esse possunt, ut optandum foret. His proxime accedunt diagnoses in aegris cum summa sagacitate et circumspectione institutae, attentione habita quam maxima in genium epidemicum et endemicum; perscrutatio indefessa cursus epidemiarum, quomodo sequatur una alteram, quos transitus faciant, quali modo se habeant ad ceteros morbos sporadicos et endemicos, utrum faveant hisce, an eos supprimant; denique perquisitio contagiorum quoad mutuum eorum rationem non parum lucis spargit in objectum nostrum, nec praetervidendae endemiae, quatenus alios morbos modificant, arcent, quod modo vel ex morbo solo repetendum, vel ex constitutione aëris, aquae, soli etc.

U T I L I T A S.

Emolumenta, quae inde pro medicina fluunt facunde exponere superfluum puto. Hoc notasse sufficiat, quod hac doctrina magis exculta morborum affinitates melius noscentur et inde divisio naturae potius correspondens statui queat; diagnosis porro facilitatur in nonnullis casibus dubiis, sic v. c. si verum est, tuberculosum processum excludere typhosum, non decipiemur, si in praxi (quod saepissime evenit) casus occurrunt, ubi tuberculosus acutus perfecte ludit typhum abdominale, vel ubi saltem suspicio adest talis complicationis; ~~si vero~~ phaenomena cuncta adsunt tuberculorum pulmonum praesentium, processus ejusmodi

nam si

florētis, tunc certo contendere licet, non esse typhum nec combinationem, sed meram tuberculosim acutam cum nevra-
sthenia; tali pacto et therapia alia evadit. Scientia exclu-
sionis ducimur, ne morbum nimis cito tollamus, si alter
malignus, periculosissimus minatur, qui autem priori vi-
genti non accedit; gravi morbo processum alium inimicum
generare adnitemur, quantum potest, qui priorem tollere
valet; tandem juxta analogiam morborum, qui facile com-
binantur eos secundum principium ipsis commune simpli-
ciori modo curare edocemur.

PARS SPECIALIS.

Generalibus praemissis modo haec aggrediemur, merum observationis fructum. Ne vero lectores male me intelligant vel praeconceptione accusent opinionis, in memoriam revoco, quae supra praecipue de exclusione protuli, nempe nonnisi verisimilitudinem exigi posse hac in doctrina in cunabulis versanti, raras exceptiones regulam non alterare et me ipsum maximopere gaudere, si quae corrigantur et emendantur in emolumentum rei medicae, nunquam non aestimantem immortalis *Halleri* circa physiologiam effatum: Proximum vero est, nihil dicere, quod falsum sit.

Sed ut rem certo ordine tractemus, morbos juxta distributionem *Ill. et Magn. Domini praesidis, Equitis a Raimann* lustrabimus. Praemittemus rationem totius classis respectu combinationis et exclusionis, sequentur ordines, genera et species, quatenus aliquid singularis praebent et quatenus aliquid mihi constat. Optassem, ut combinationes et exclusiones serie quadam v. c. secundum frequentiam ordinari possent, sed fuit opus inane.

CL. I. FEBRES.

Quum febris consistat in morbose aucta reactione virium vitalium a stimulo morbifico positivo irritatarum, haec cum omni processu morbozo complicari potest, ubi vis

vitalis non penitus exhausta, quod et experientia confirmatur. Hinc combinatio febrium cum aliis morbis est frequentissima, exclusionis facultas admodum exigua, erga nevroses potissimum directa.

Attamen sunt duae febrium species, quae ab hac regula aberrant, scilicet: Febris nervosa torpida seu s. d. typhus abdominalis et febris intermittens.

Typhus abdominalis, quae morbus substantivus cum languore systematis sensitivi, cum crasi sanguinis proprie mutata et ulceratione specifica membranae mucosae imprimis ilei juxta valvulam Bauhini, jam his signis febribus communibus alienus adparet, ita ut hac definitione ipsa jam a priori ad excludendi potestatem concludere possimus. Et revera nisi penitus typhum excludant, tamen vix ac ne vix hunc evolvendum sinunt: Cholera orientalis, dysenteria, tuberculosis κατ' ἐξοχὴν pulmonum, scyrrhus, sarcoma medullare, vitia organica cordis majoris ponderis, variola, morbilli, scarlatina, erysipelas, status puerperalis praecipue peritonaeitis puerperalis, graviditas, lactationis periodus *).

Typhus abdominalis combinatur e contra inter phlogoses sola pneumonia eodem tempore, catarrho bronchiorum eorumque dilatatione; cum peritonaeitide ex enterobrosi, purpura, urticaria, cum rheumatismo, impetiginibus et intermittenti. Universim combinandi facultas in typho abdominali non est magna et unio haud arcta, vixque magni influxus in ejus decursum.

Intermittentes, nevroses febriles systematis reproductivi et hoc intuitu potius nevrosibus adnumerandae, quam febribus peculiarem exclusionis observant rationem;

*) Attamen complicationes typhi cum sarcomate medullari, tuberculosi, et vitiis organicis cordis exquisitis ab aliis et a me observabantur.

excludunt impetigines uti herpetem, porriginem, quae tunc evanescent, licet intermittenti devicta saepe redeant; phthisim, quae saltem ulteriori decursu inhibetur, ceterum febris hectica saepe intermittentem simulat; excludit ^{etiam} nevroses, quae non raro radicitus intermittenti tolluntur; insultus epilepticos durante febris intermittenti siluisse ipse bis observavi; erysipelati, statui puerperali intermittens vix accedit.

Combinationem vero init cum inflammationibus praecipue hepatis, lienis, cum catarrho, variola, typho icterode, abdominali; hypertrophia cordis, hydrope, *cum splenitide hepatis*

Nota. Haec ratio inimica inter phthisim ac intermittentem in individuo, omni attentione digna et ultro comprobatur endemias respiciendo. Viennae, ubi phthises ferales endemicae, intermittentes rarissimae sunt; et si hae frequentius obveniunt (uti v. c. Majo anni currentis in nosocomio vidi) pro maxima parte originis sunt extranei, importatae. In agro Ticinensi uliginoso et palustri (uti legimus in classicis annalibus scholae clinicae Ticinensis auctore Fr. ab *Hildenbrand*) intermittentes frequentia et perfidia excellent, phthises rarissimae ita et nevroses vitae altioris. Hinc generatim aëris et soli constitutio intermittenti favens, adversa est phthisi (tuberculosae), quod circa therapiam et diaetetikem horum morborum magni momenti.

CL. II. INFLAMMATIONES.

Inflammatio ceu incitatio vitae arteriosae et plasticae adaucta, cum productione abnormi, generatim uti febris se habet et cuique ferme processui morbozo adsociatur et quum textus vasorum capillarium qua inflammationis substratum vix in quadam organismi parte desideretur: phlogosium frequentia universim et in singulo facile explicatur. Exinde quoque fluit, excludendi capacitatem non magnam esse posse; et revera haud magna est.

Inflammatiō abhorret statum summe atonicum, colliquationi proximum, est inimica nevrosium, quas, si iis supervenerit pro tempore extinguit.

Amicissima est phlogosis morbis sui generis; combinatur ^{puro}libenter cum scrophula, herpete, syphilide, scyrrho, sepsi unde inflammationes specificae quod diathesim; cum intermittenti, tuberculosi, hydrope etc.

En species quasdam phlogosium notatu hoc respectu digniores:

Phlebitis consociata reperitur cum erysipelate, carditide, pneumonia, hepatitide, splenitide, nephritide, encephalitide; — rarissime cum typho, quod praecipue valet de metrophlebitide puerperali.

Pericarditis saepissime complicatur cum carditide, pneumonia, pleuritide et arthritide rheumatica, cum phlebitide, erysipelate, variola, encephaloide in emollitionem abeunte.

Dysenteria, morbus autonomus intestini crassi, praepimis recti, enteritis seu potius architis cum tenesmo et alvo mucosa pseudomembranis mixta subinde cruenta plerumque epidemica, consistit proprie secundum Cl. D. prof. *Rokitansky* in acescentia sanguinis cum emollitione rubra inflammatoria subsequa grangraena membranae mucosae intestini crassi; qua morbus dyscraticus, nonnunquam contagiosus obicem ponit morbis aliis vel non cum illis complicatur. Sunt: Typhus abdominalis, tuberculosis, scarlatina, rubeola.

Ast combinatur cum catarrho, praecipue blennorrhoea intestini crassi, cum ulceratione folliculari ejusdem, interdum cum cholera orientali, angina membranacea; cum morbillis et variola; cum rheumate, arthritide, haemorrhoidibus, intermittenti, gasterobrosi ulcerosa, carcinomate aperto.

vel jam sec. Fr. Lehmann et Willifim.

Rheuma vix jungitur cum typho exanthematico; jungitur vero cum catarrho, erysipelate, rubeola, *endocarditide*.

Meningitis cum encephalomalakia, hydrocephalo chronico, cordis vitio, tuberculis cerebri et gastromalacia.

Peritonaeitis puerperalis (febris puerperalis per eminentiam) excludit typhum abdominalem; inhibet progressus tuberculosae diathesis.

Combínatur cum meningitide, pleuritide, pericarditide, gangraena pulmonum, gastromalacia, carie cartilaginum ossis pubis, abscessu psoadico etc. inter musculos. *can pube sit de*
metritide septica

Nota. Non supervacaneum erit, hic quaedam monere de statu puerperali, quae fusius exposita invenimus in tractatu Drs. Helm circa morbos puerperales. — Dispositio puerperalis non favet excipiendis aliis morbis, hinc inflammationes genuinae, intermittentes, exanthemata nonnisi raro puerperas vexant. Imo epidemiae interdum iis parcunt, uti catarrhus russicus, typhus; cholera vero orientalis accessit gravidis, parturientibus, puerperis et mire hos status modificavit. Diathesis fungosa, tuberculosa evolutionem morborum puerperalium arcent; at si phthisis, hydrops, pneumonia, hepatitis etc. majorem attigerunt gradum puerpera eo citius moritur, quin revera participet morbo stricte puerperali.

Catarrhus complicatur cum inflammatione, rheumate, scrophula, arthritide; rarius cum nevrosi.

Angina membranacea (Croup), nempe laryngo-tracheitis catarrhosa cum particulari in hypoclepsin lymphatico-plasticam nisu nupta invenitur cum hydrocephalo, inflammatione viscerum thoracis, morbillis.

Erysipelas abhorret intermittentem (licet saepius epidemiam intermittentium sequatur, uti hoc anno videmus), typhum petechialem, impetigines; epilepsiam superveniente erysipelate cessasse ipse vidi.

Jungitur vero cum catarrho, phlebitide, anthrace, gangraena nosocomiali, leukorrhoea, rubeola, hydrope.

CL. III. EFFLORESCENTIAE CUTANEAЕ.

Hae morborum species, quibus vegetationis munus specifica ratione alteratur, ita ut in corporis superficie externa plane novae emergant productiones, jam eo, quod plasticitatem singulari modo funditus immutant et vehementes saepe provocant reactiones, morbis aliis admittendis minime favent. Sunt crebro diatheseos certae propagines vel contagionis proles et parentes simul. Hic ergo locus aptus erit, contagiorum relationem quoad combinationem et exclusionem respiciendi uti Cel. professor Fr. ab *Hildenbrand* in sua pyretologia docet:

Contagia perfecta volatilia coevam alius contagii ejusdem prosapiae susceptionem et evolutionem excludunt, ergo superfoetationis speciem non admittunt. Huc referuntur: Variola, varicella, morbilli, scarlatina, rubeola, typhus contagiosus communis, anthracicus et icterodes.

Contagia perfecta fixa coetaneae alius contagii evolutioni in eodem corpore, quamvis raro obtineat, non protinus obstant. Huc numerantur: Syphilis, lepra, elephantiasis, thymiosis africana et americana, scabies, plica polonica.

Contagia imperfecta sua praesentia alius contagii evolutionem haud impediunt; sunt: Ophthalmoblennorrhoea, pertussis, dysenteria castrensis, medorrhoea virulenta, brevi catarrhi maligni, morbi ulcerosi, herpes, porrigo ulcerosa, carcinoma, tandem morbi septic.

Contemporale duarum pestium differentium dominium rarissime occurrit, nisi una a contagio perfecto et altera a semicontagio originem ducat. Ita typhus exanthematicus cum dysenteria castrensi, morbillus cum tussi convulsiva haud infrequenter incedit.

Existens quidam processus miasmaticus contemporalis alius febris contagiosae evolutionem plerumque excludit talique pacto temporariam immunitatem ponit.

Ideo in variolantibus contagium morbillosum, utut exceptum iners delitescit, donec primus morbus absolutus fuerit. Ipsa contagia fixa, syphiliticum et psoricum, febres pestilentiales contrahendi receptivitatem minunnt; ita Aethiopes scabiosi referente *Schottio* peste immunes manserunt.

Typhus exanthematicus jam eo, quod contagiosus est, uti supra monuimus alia contagia perfecta excipienda excludit; porro non adsociatur erysipelati, rheumatismo, ophthalmiae s. d. aegyptiacae; syphilis, impetigo, epilepsia, si jam typhus accedit, nisi disparent regrediuntur; parcit gravidis, phthisicis, illis, qui ulceribus pedum inveteratis laborant, psychopathiis adfectis.

Typhus anthracicus seu pestis orientalis morbus summe contagiosus, acutissimus in liquationem praecipitantem nitens non combinatur (praeter eos morbos, qui contagio perfecto volatili gaudent), cum lepra, phthisi, scorbuto, hydrope, herpete, melancholia, ulceratione extensa, scabie, syphilide (?). Variola et intermittens quartana sec. *Orraeum* hinc inde apparentes pestis extinctionem praesagiunt.

Scarlatina universim epidemiis regnantibus parum vel prorsus non modificatur.

Variola vera crebriora celebrat consortia cum dentitione difficili, helminthiasi, scrophula, rheumate, catarrho, rhachitide, crusta lactea. Complicationes variolae cum morbis e contagio fixo vel semicontagio oriundis uti syphilide, medorrhoea virulenta, tussi convulsiva nulli subjacent dubio ita et cum pemphigo, strophulo, furunculis.

Exclusio ex prioribus patebit.

Variola tutoria insita non evolvitur in homine, qui scarlatina, morbillis, typho petechiali laborat; connubium vero init cum impetiginibus, scrophula, syphilide, lepra.

Impetigo universim disparet scarlatina, typho petechiali praesentibus; combinatur cum pluribus aliis morbis, inflammatione, scrophula, syphilide.

CL. IV. CACHEXIAE.

Quatenus cachexiae focus morbosum in ima quaerunt vegetatione, in humorum elaboratione vitiosa eorumque dyscrasia constant, unde nutritio manca evadit, quatenus homo iis adfectus totus quantus processu morbozo quasi est occupatus: etiam illae quandam immunitatem ab aliis morbis praebent, licet combinationes quoque non deficient. Est jam lex experientia sancita, potiores dyscrasiarum species, certa reproductionis organicae vitia dispositionem erga contagia infirmare et infectionem arcere; hinc phthisici, scrophulosi, hydropici, scorbutici vel qui chronica ulcera gerunt a pestilentibus morbis tutiores sunt, quam alii; victa tamen hac indispositione crudelior plerumque evolvitur lues.

Processus tuberculosus praecipue in pulmonibus vicens, productio illa abnormis massae albuminosae non

organisatae in textu celluloso, utut vasis lymphaticis ditissimo, omnium organorum, multos status morbosos agnoscit, quibuscum non combinatur. Sunt: Foramen ovale altiori gradu apertum, defectus septi atriorum, septum imperfectum ventriculorum, hypertrophia cordis *), dilatatio cordis activa ex insufficientia primitiva aortae, aneurisma aortae adscendentis et s. d. mixtum Scarpae; densitas connata parenchymatis pulmonum ex parvitate saccorum pleurae et pulmonum ipsorum, ~~catarrhus chronicus~~, emphysema pulmonum vesiculare et dilatatio bronchiorum; cystides serosae (hydatides, cysticercus cellulosa, acephalocystides), gibbositas majori gradu, scyrrhus, fungus medullaris. Rarissime combinatur cum typho abdominali, dysenteria, cholera, ulcere perforante ventriculi, osteomalacia, *apoplexia*.

Graviditas progressa arcet tuberculoseos genesim vel ulteriores inhibet progressus; ita etiam, si phthisi tuberculosaе hydrops anasarca, vel intermittens supervenerit, illius progressio limitatur pro tempore. Quod nonnullos ad conclusionem seduxit: Intermittentem et dispositionem in hydropem (venositatem) excludere tubercula. Tandem struma lymphatica universim immunitatem a tuberculis praebet. Sec. *Hecker*, epilepsia vigenti tubercula non evolvuntur, ast illa sanata eo citius evoluta haec mortem parant maturam.

Nota 1. Ex prioribus patebit, in foetu, dein praeprimis in prima vitae extrauterinae periodo, si ductus arteriosus Botalli apertus est vel aliae viae foetales, tuberculosim rarissimam esse. — Quod hypertrophiam cordis attinet, qua vitium tuberculosim arcens, hoc fundatur in imperfecta sanguinis oxydatione, venositate inde sequenti et diathesi hydropica evoluta. — Respectu gibbositatis monemus: Perquisitio stethoscopii ope in vivis et extispicia docuerunt, semper adesse hypertrophiam cordis dextri h. e.

*) Sed hypertrophia cordis dextri nonnumquam tuberculis pulmonum inducitur.

ventriculi et conii arteriosi cum dilatatione ulterioris et arteriae pulmonalis, pulmones summopere densos compressos reperiri; hinc praeter circulum inhibutum et oxydationem mancā etiam pulmonum densitas tuberculorum depositionem vetat. Simili modo se habet in pleuritide exsudativa permanenti unius lateris, ubi propter compressionem et inde subsequam densitatem parenchymatis pulmonalis tuberculosis praesens vel recedit vel nova formari vetatur.

Nota 2. In Styria, Pinzgavia, ubi struma, intermittens et hydrops endemicae phthisis rara vel nulla; hinc in hominibus struma praeditis ceterum pulmonum morbis obnoxiiis caute incedendum cum antistrumosis Jodo, Spongia; tali modo se habet cum operatione fistulae ani in tuberculosis.

Cyanosis, morbus ex mixtione sanguinis arteriosi cum venoso ab cordis solius vel simul arteriae pulmonalis vitio originem petens, universim nisi haemorrhagias et hydropes socios habeat nullas alias combinationes admittit.

Hydrops magna parte etiam morbus dyscraticus, licet pluribus combinetur morbis, tamen connubium vix arctum init et nonnullos processus morbosos pro tempore retardat uti phthisim, diabetem.

Ceterum complicatur cum phlogosi, intermittenti, rheumate, erysipelate, scrophula, profluviis colliquativis, syphilide, scorbuto, vitiis organicis cordis, nevrosibus.

Hydrops ex degeneratione substantiae renum corticalis cum lotio summe albuminoso seu s. d. morbus Brighti raro cum phthisi pulmonali connubium init; complicatur praecipue cum cardi hypertrophia, bronchitide, pleuritide, arachnitide, pericarditide, peritonaeitide exsudativis.

Syphilis minori gradu cum omni processu morboso complicari potest. Medici, qui strictissime distinguunt inter luem medorrhoeicam et cancroso-syphiliticam uti *Eisenmann*, contendunt medorrhoeam et cancerum syphiliticum

sese excludere. Alioquin syphilis pro tempore reprimatur typho ~~praeprimis~~ petechiali et omnibus contagiis perfectis volatilibus.

Combinatur proprio sensu cum inflammatione, arthritide, scrophula, herpete, scabie, scorbuto.

Scrophula multis cum morbis arctissime sociatur, ut cum phlogosi, syphilide, impetigine, helminthiasi, tuberculis, rhachitide.

Gastromalacia et oesophagomalacia cuicunque morbo, praeprimis chronico accedere possunt, ubi inedia nimis diu protracta fuit; adest ferme constanter in inflammatione arachnoideae et piae matris infantum exsudativa seu in s. d. hydrocephalo acuto lethali. *cum inedia saepe, p*

Laesiones organicae hepatis combinantur ~~nonnisi~~ praeprimis cum morbis pulmonum, cordis, ventriculi, *apople* lienis, renis dextri ~~imo et~~ cerebri, cum hydrope.

CL. V. ECCRISES.

Profluvia et retentiones qua tales propriam morborum classem revera constituere non possunt, quippe nonnisi symptomata sunt; attamen pluribus morbis, qui nomen unice ab illis eminentibus quidem phaenomenis sumunt: subest processus substantivus profunde radicans in vegetatione ita v. c. diabete, cholerae, haemorrhoidibus. Alii iterum morbi retentionis, uti arthritis, icterus, lithiasis proximam causam in crasi sanguinis abnormi et retentione materiae alias excretae agnoscunt, quin ab hac nomina trahant. Valor autem practicus illi non est denegandus; et si nomina et classem illam penitus in exilium agere vellemus: eodem jure et alia nomina delenda essent.

CL. VI. NEVROSES.

Si sub titulo nevrosium intelligimus morbos systematis sensitivi sine alteratione materiae organicae: jam hoc respectu plures affectiones, quae secus phaenomena provocant s. d. nervosa analogae excluduntur; tali pacto v. c. gastralgia nervosa desinit si gastritis adest, tetanus si myelitis. Sunt, qui puras negent nevroses quique ubique materiam laesam esse volunt, sed haec opinio tam inutilis est, ac si quidam animum ipsum cultro anatomico secare vellet. Quoad nevroses, *Reil* monet, iis quandoque morbos organicos graves praecaveri vel saltem differri; malis nervorum chronicis, qui mulctantur febrilibus epidemiis intactos saepe persistere, compertum est; — incipienti febre praecipue intermittenti plerumque epilepsia, catalepsis, hysteriasis aliique morbi nervosi cessant. Sensu stricto nevroses perraro combinationes efformant.

Epilepsia minuit receptivitatem erga morbos contagiosos v. c. variolam, typhum exanthematicum; tineam. Morbillis, scarlatina, rubeola, intermittenti, graviditate saepius pellitur; arcet quodammodo phthisim.

Tussis convulsiva, nevrosis paris decimi cerebri cum catarrho, contagiosa et epidemica, non combinatur cum tineam, scabie, vaccina, nec cum cholera; variola intercipitur.

Psychopathiae ut laesiones facultatum animi substantivae, non transitoriae non certam agnoscunt rationem excludentem et jungentem. Valet sententia, morbo psychico laborantes a contagiis immuniore esse et epidemiis minus corripiri. Complicationes habentur vel cum aliis psychopathiis, persaepe ejusdem generis sic v. c. melancholia cum moria; vel cum morbis somaticis, catalepsi, epilepsia, paralysi, scorbuto, hydrope, cum vitis organi-
 1) tondo, encephali.

Melancholia combinatur cum mania; lubentius connubium celebrat cum morbis chronicis, quam acutis, praeprimis pulmonum, hepatis, intestinorum rarius cerebri.

Dementia cum mania et monomania.

Moria complicationem init cum laesionibus cerebri, affectionibus pulmonum, cordis, cutis, intestinorum; cum convulsionibus hypochondriacis et hystericis.

Mania sequentes morbos habet socios: Dermopathias, hysteriam, hypochondriam, epilepsiam, scorbutum, paralysim.

Idiotismus, cretinismus combinatur cum scrophula, rhachitide, epilepsia, paralysi; ceterum tutelam praebet erga plurimos morbos epidemicos et contagiosos.

LITERATURA.

Andral, Cours de pathologie interne. Recueilli et rédigé par *Amédée Latour*. Paris 1836. 3 volumes.

Bartels, die gesammten nervösen Fieber. Berlin 1837. 2 Bände.

Eisenmann, die Krankheitsfamilie Typhus. Erlangen 1835.

Esquirol, les maladies mentales. Paris 1838. 3 volumes avec planches.

Hecker, I. F. C., Geschichte der neueren Heilkunde. Berlin 1839.

Helm, Th., Traité sur les maladies puerperales. Paris 1840.

Hildenbrand, Fr. ab, Annales scholae clinicae Ticinensis. Papiæ 1830. 2 tomi.

— Animadversiones in constitutionem morborum stationariam. Vindobonæ 1831.

Hildenbrand, Val. et Fr. ab, Institutiones practico-medicae pyretologiam complectentes. Editio altera. Viennæ 1833. 2 tomi.

Hornung, medizinischer Jahresbericht von 1837. Salzburg 1840.

Jahn, System der Physiatrik. Eisenach. 1ster Band. 1835. 2ter Band 1839.

Jahrbücher, medizinische, des oesterreichischen Staates;
14. bis 20. Band, neueste Folge. In den Aufsätzen von
Dobler, Helm, Hildenbrand, Hornung, Kolletschka,
Rokitansky, Skoda.

Raimann, spezielle medizinische Pathologie und Therapie.
5. Aufl. Wien 1839. 2 Bände.

Schnurrer, Chronik der Seuchen. Tübingen 1823.

Schönlein, allgemeine und spezielle Pathologie und The-
rapie. 4. Aufl. St. Gallen 1839. 4 Theile.

Stark, allgemeine Pathologie. Leipzig 1839.



THESES DEFENDENDAE.

I.

Genii epidemici cognitio medico practico absolute necessaria.

II.

Fames summum medicamen.

III.

a **R**emedia balsamica, leniter stimulantia immerito nunc in vulnerum ulcerumque cura negliguntur.

IV.

Anatomia pathologica sine respectu phaenomenorum in statu vivo observatorum non multum prodest.

V.

Chemiae analyticae scientia majoris emolumenti pro medico, quam syntheticae.

VI.

Omnès icones, picturae morborum sive exanthematum sive aliorum nec juvant tirones nec peritos.

VII.

Tartarus emeticus nervinum praestantissimum.

VIII.

Chirurgus aut sit simul medicus perfectus, aut solus opifex;
(χειρουργος Celsi).

XI.

Medicina gaudet eadem certitudine ac aliae scientiae practicae.

X.

Systema plantarum Linnaei tironi et cuicumque, qui non in
intima phytologiae penetralia intrare vult est optimum.

XI.

Dantur epidemiae psychopathiarum.

XII.

Diaeta apta absque medicamine saepissime plus valet, quam
medicamina absque diaeta.

XIII.

Morbi cordis organici quondam difficillime dignoscendi,
nunc perfecte determinari possunt.

XIV.

Medici influxus psychicus in aegrum summus.

XV.

Morbi populares, endemici fere, ut v. c. phthisis Viennae
magis a politia medica auxilium quaerunt, quam a
therapia.